

ac etiam si æquales Zodiaci partes, æquali quoque tempore perambulet, tamen propter Eccentricum motum in se æqualis, nobis appareret inæqualis. (2) Quando quæritur, quâ tamen de causa, nobis non solum videatur unus vel alter Planetarum, aliquando celerius aliquando tardius moveri, sed mox stare, mox progredi, mox cancri- no more regredi? Tunc coguntur in horum Planetarum eccentricis orbibus effingere Epicyclos, quorum centra figunt in circumferentia Eccentrici; His volunt excusare istas Planetarum anomalias; ajunt enim Epicyclum moveri in contrarias partes ab eccentrico, cum enim hi circuli sibi quasi contrarientur, videri Planetam in Epicyclo, nobis vel stare, vel retrogredi.

Verùm enim verò, rationi omninò

contrarium est, Planetas singularia habere Eccentra in Mundo; Quid enim hoc centrum esset? cui bono & in quem finem? Ecquâ quæso virtute hæc astra moverentur, circa tale in Cælo fluido fictum Eccentrum? Aut quomodo est possibile, Planetam non solum circuitum suum circa fictitium Eccentrum absolvere, sed etiam adhuc peculiarem cursum in Epicyclo & quidem spatio liberrimo peragere? Profectò Ptolemaica hypothesis probabilior est (dum cuique Planetæ propriam Sphæram & quidem solidam assignat, quâ positâ, de cælestium harum apparentiarum anomalia, facilius rationes reddi possunt) quàm isthæc. Sed quia de hac materia alii satis abundanter tractarunt, brevitatis studio illam relinquemus, & ad alia progrediemur.

CAPUT XI.

De emendato ac perfectiori Systemate Mundi Copernicano.

Postquam in hoc seculo, Mathematicarum scientiarum periti, Perspicilla seu Tubos opticos invenerunt, magis quàm antea elucescit veritas antiqui Systematis Pythagoræ vel Copernici; De novo enim ingens fundamentum his rebus præbuit, inventisque speculationibus latum campum aperuit, quod *Galilæus Galilæi* Academia Pisanae Professor & Magni Ducis Hetruriæ Lynceus Mathematicus, Telescopio suo insigni, anno Christi 1610. invenit illas quatuor Lunas circa Jovem, quas *Satellites Jovis* seu *Stellas Medicæas* à Medicæa Urbe, ubi primò omnium detectæ fuerunt; *Simon Marius* autem primus earum apud Germanos inven-

*De Jovis
Satellitibus
vel sociis.*

tor, *Brandenburgica Sidera* (quia sub Marchionum Brandenburgensium dominio ille natus & ipsorum liberalitate enutritus) vocavit.

Atque sic alii deinde, alia quædam nova & antea incognita circa reliquos Planetas detexerunt; Ut suo loco speciatim penes unumquemque notabitur. In genere verò omnes Planetas globos impolitos esse, nostræ Terræ non absimiles, proprio lumine destitutos, & tantum radios à Sole acceptos, versus oculos nostros reflectere, ope perspicillorum deprehenditur. Unde necessariò primum omnium Systema Mundi in Sole fundandum, ab eoque initium loquendi aliquid sumendum.

CAPUT XII.

De Sole.

Sol itaque in medio seu centro hujus Mundi adspectabilis consistens totumque Planetarum circumstantium chorum gubernans, & tanquam Rex qui Solio suo regali insidet, a radiis suis emissis, non solum omnes Planetas ut Univerſi Lampas illuminat, verùm etiam motus eorum

regit, & caloris ac vivificæ suæ facultatis facit participes: Nisi enim vivificæ ejus vis, ad generationem omnium animalium concurreret, irritum esset quidquid ad generationem molirentur. Unde meritò præ aliis omnibus ex hac eminentissimâ creaturâ, sub cujus quasi imperio versantur omnia, fin-